[Ma]rtinus

Ostiński Martini Svada applaudens theologico honori et virtuti eximiae

SVADA APPLAVDENS,

Theologico Honori, & Virtuti Eximiæ,

Perillustris, & Admodùm Rndi Dni,

D.M. MARTINI WINKLER,

S. Theol: Doctoris & Professoris,

Collegæ Maioris, Ecclesiarum Collegiatarum, Sandomiriensis PRÆPOSITI,

S. FLORIANI CVSTODIS,

Lanciciensis CANCELLARII, &c.

DVM

in Florentissimo Magnorum Hospitum Consessu,

PRO LOCO,

inter Clariss: Sac: Theologiæ DOCTORES,

RITU SOLENNI

RESPONDERET,

A

M. MARTINO OSLINSKI,

Philosophiæ Doctore & Professore, Collega Minore, Contubernii Iagelloniani Seniore,

debitæ venerationis & cultûs ergò in Lucem publicam,

PRODVCTA.

Anno Domini, M. DC. LXXX III. die IX. Nouemb.

CRACOVIÆ, Typis VNIVERSITATIS.

PAlladias acies, iræq; ſepulta iocoſæ
Bella, per Aonios, at non Mauortia, campos,
Inq; triumphalem, ſurgentia prælia, laurum:
Promere Muſa iubet, magno ſpiramine ducta.
O *Princeps, quam mille acies, queq, ætheris alti*
Militia eſt; totidem currus, tot ſigna, tubæq,
Tot litui comitantur, ouantiq, agmine plaudunt:
Inſtrue fac mentem, pauidiſq; adlabere cæptis.
Hîc vbi turritus protendit ad aſtra Vauellus
Culmen & excelſo ſummus de vertice ſpectat,
Creſcere ſub pedibus latè celſiſſima Craci
Pergama, clara Viris, domibus decorata ſuperbis.
Omnibus eſt longè felicior vnica moles;
Quam ſuper immoto fundamine condidit Orbis
Regnatrix Sapientia, IAGELLONIS amores,
Splendida pro Lechicis erecta palatia Muſis.
Doctam Praxitelis dextram, vel in ære Myronis
Hic artem videas: pulchros vultuſq; Virorum,
Maxima quos doctis probitas claràuit alumnis.
Hîc floret fecunda quies virtuſq; ſerena,
Fronte grauis, ſanuſq; decor, luxuq; carentes
Deliciæ, cultus recti, facunda virorum
Ingenia; antiqui mores, candorq; vetuſtus.
Hanc Pallas fertur præ terris omnibus vnam
Dilexiſſe, ſibi placitâ quondam Vrbe relictâ.
Dum vagor aſpectu, viſumq, per omnia duco;
(Pulchra loci facies, quem non ſplendore moueret?)
Audio mox mœſtis impleri quæſtibus auras,
Et planctus triſtes; gemituſq; per æthera ſpargi.
Non, labente Numa, gemuit ſic Vrbe Quirinus,
Pompeio nec celſus eques, nec Græcia Codro:
Quâm ſenſi hîc mœſtas intendi voce querelas.
Tanti WINKLER erat luctûs, & cauſa dolendi;
Vt potuêre aures tetigiſſe cadentia verba:
Scilicet immiſtus dabat hæc ſuſpiria luctus:
Dulcis amor WINKLER, dulcis MARTINE voluptas,
Delicium Suadæ, Cor, Spiritus, atq: Medulla
Muſarum, noſtri Flos æui, Gloria Stoæ,
Gemma virûm, Pallas cæli quos nectare nutrit;
Iamne tuis nunquam dabitur gaudere corymbis?
Eheu ceſſiſti? ceſſant oracla TILICI.
Hæc ego miratus, grauiùs prolata recepi.
Altiùs ingredior, quæſtu ducente per aulam,
Huc, illuc voluens oculos, totamq, pererro,

Luminibus tacitis; impensè cuncta requirens;
Nil video pompæ circum, quæ tristia prodat;
Squallida non velat vultum, nec corpora vestis.
Sed noua lugentum ratio, nouus ordo dolendi.
Planctus lætitiæ speciem præferre videtur:
Funduntur lacrymæ, at niueo natat ignis in ore
Purpureus, fuluoq; nitet coma gratior auro.
Luctus adest; vestis cultu supereminet omni,
Luxuriantq; modo sine fusa monilia passim.
Asyrio quidquid, Siculoq; effulgurat ostro,
Clariùs hic lucet. Sed tanta reuerberat alti
Gratia fulgoris, cui virtus Lyncea cedat.
Non lucem, sed fulgur habent cælestia dona.
Inter eos cultus, cælos clamore fatigat
Vna Deûm, feriens crebris vlulatibus aures.
O WINKLER mea vita, decusq; meum! mea vita!
Iam pro te, iam dulce mori, iam mille pericla
Dulce subire mihi, maneas dum WINKLER apud me.
Nec mora prosiliens concussit pectus, & inquit:
Quid lugere iuuat, sit flendi expleta voluptas.
Horrida bella geram: cur non Mauortia bella
Fortis amor cieat? promptæ pugnemus amori.
Arma citò rapiant sociæ, furor arma ministret.
Splendida, quæ gestat, præstò sunt arma Mineruæ;
Nec semper Cytharam pulsat formosus Apollo,
Auratam, quandoq; volens iacit arte sagittam.
Et nos arma iuuent, his defendamus honorem.
Græcia pro magno quod si contendat Homero?
Ac Vrbes septeno contra se agmine ductet?
Scimus vt incerto toties lis Marte dirempta.
Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Chios, Atticæ, Athenæ,
Fortiùs instantes, tanto conamine claræ.
Mortuus hæc potuit? quòd carmine fortia gesta
Grandisono, magni quondam celebrauit Achillis,
Non sine mentito vatum depicta colore?
Me certè duris genuit sub cautibus horrens
Caucasus; & Lybicæ lactauit tygridis vber:
Nullus amantis si est nostro sub pectore sensus,
Arma velint, poscantq; simul, capiantq; Camænæ.
Vt belli signum in medio Regina Suâda
Extulit: & rauco strepuerunt cornua cantu:
Extemplo turbati animi, velut omne tumultu
Coniuret Latium trepido, cùm Troius Heros
Inclytus, Ausoniis super aduena constitit oris.

Æstuat in bella, arma petens Heliconia pubes;
Pars aptat clypeos, pars lucida ſpicula torquet.
Quàm pulchrum reſides populos, deſuetaq; bello
Agmina, Gradiui luctantis in arma vocari?
Purpureis aſſueta roſis, calatiſue Mineruæ
Dextera romphæas flectit, Lyciamq; pharetram.
Ipſa inter primas præſtanti corpore Suada
Vertitur arma tenens; & toto vertice ſupra eſt,
Cæruleam geſtans aurata in caſſide criſtam,
Ipſa Quirinali lituo, pulchroq; decora
Ornatu, chlamidem cæleſtiq; iride veſtit.
Huic ſuperaduenit ſacra de gente Poëſis,
Agmen agens peditum, & florentes ære cateruas:
Bellatrix aſſueta pati mandata, parendo;
Docta pedum curſu volucres præuertere ventos.
Mentis Apollineæ quoq; vis mouet vndiq; Muſas.
Ibat Ariſtotelis proles pulcherrima bello,
Militiæ robur ductans, certamine felix.
Et iam Mars ſæuus, Lechicis qui præſidet aruis,
Inſtructas relegens acies, certare paratus.
Qui circumferat, hoſtis abeſt, contraria ſigna.
Panditur interea Diuinæ Palladis aula,
Diues opus, tectum non centum inſigne columnis,
Sed quantæ Superos, cælumq; Atlante remiſſo,
Suſtentare queant; facit hoc vicina Tonantis
Regia, ſtare ſibi ſocium, fulgere pyropis.
Ipſa Deûm Princeps Tyrio Sapientia cultu,
Pegmate ſub roſeo rutilâ redimita coronâ.
Hanc verò circum vittati grande Senatûs
Concilium, ſocians animas, & mutua iũgens
Pectora, quêis quondam fulta eſt Eccleſia Mater,
Et quoq; nunc tegitur; ſacriſq; curulibus omnes
Ad dextram, læuamq; ſedent: ſpectatur vtrinque
Canities veneranda Patrum; pars igne coruſco
Tota ardens; pars ſtelliferis innexa coronis;
Tergeminas lætatur pars geſtare tiaras;
Pars roſeo ſplendore galeri fulget in oſtro;
Cæruleâ veſte eſt violis pars æmula pulchris:
Anthracynis videas plures gaudere corymbis,
Abſq; modo, numeroq;, quibus ſunt nomina mille;
Nec confuſus honor. Sed quatuor ordine primis,
Prima datur ſedes: reliquis conceſſa ſecunda
(Hos propè ſpectaui clarum conſiſtere WINKLER)
Gloria: plebeio ſtat cætera more Iuuentus,

Obſequiis famulata Deæ, pars atria longè
Obſeruans, arcanis pars penetralibus adſtans:
Atq; ancillarum glomerata manus ſine ruga,
Ad nutum Dominæ quæuis decurrere iuſſa
Aduigilans ſemper. Poſt, cùm reſonabilis Echo
Ad poſtes ſtrepitum veloci pertulit ictu;
Protinus excurrit ſenior, quæ nomine VIRTVS:
[Innuit vt fulgens veſtis] ſimul agmina vidit
Hoſtica cum Ducibus, rupit de pectore vocem.
Quæ genus? vnde domo? vel quêis veniſtis ab oris?
Quid petitis? contra quem armatæ caſtra mouetis?
Otia nos colimus; ſacra otia condimus Orbi:
Sed ſeruire DEO, Menſiſq; accumbere Diuûm,
Maxima pars noſtri, potiorq; laboris. At vna:
Theologas arces petimus, decernere Marte
Æquo flagrantes, cùi cedere debet amicus;
Prælia portamus, ceſſuræ nec niſi victæ.
Excipit iſta ſtupens, cauſam quæritq; furoris,
Quæ tumidas duxit tanta in diſcrimina rerum?
Quærit, cuius egentes venerunt? Tamen illæ:
Theologas ædes ruimus, certare paratæ:
Gloria nos animat, ſtimulant exempla priorum,
Virtutis pretio; repetendo vindice dextra
Delicias animi, MARTINVM WINKLER: vt illo
Regia noſtra queat gaudere. Sed intulit iſta:
O curas ſteriles! quantum eſt in rebus inane!
Vosne Gyganteis ædem tentare Deorum
Auſibus aggreſſæ? nec vos exterruit ira
Sæua Deûm; ruptiq; cauis fornacibus ignes?
Eſt DEVS in Nobis, agitante caleſcimus illo:
Nouimus & Siculi faſtum ſuperare Pelori,
Præſide mente DEI: cuius nos maxima cura
Vrget, inoffenſa ac ſemper manet æqua poteſtas,
Proſpicit hic poſitas excelſis montibus Vrbes,
Et mare ventoſum, terrarum imosq; receſſus:
Hic varias rerum formas, & quidquid vbiq; eſt,
Suauiter omnipotens diſponit: ſeligit atq;
Æthere felices animas, quæ tempore certo
Auratos moueant Orbes, & luce ſerena
Irradient mundum, ſublimi ſede locatæ.
Credite non quidquam fieri ſine numine Diuûm.
Nec virtus auguſta, ſuæ veſtigia vitæ
Huc meritis flectens, pretio caret; imò triumphis
Excipitur magnis: digno quos gloria WINKLER
Apparat; & quamuis præclara modeſtia vultu,
Hæc fugiat, Diuinum aliquid ſpirans: fugientem

Illa tamen sequitur, plausu studiisq; per Orbem,
Jmmortale ferens nomen; sua condere virtus
Quod potuit, lucisq; capax, & amica togatæ
Vis animi fecit summum, sub Pallade docta.
Plura loqui voluit; prærumpit Suada loquentem:
Flos tamen eloquii nitidus, nectarq; disertum,
Et quidquid mea regna tenent, est celsius illi:
Nestora quo superat: præ cunctis Tullius ipse.
Imperii fasces defert: praferre nec audet
Solus, ni socio regni, sua munera, WINKLER
Committat, genium sapientis qui regat ævi.
Et rexit Superis fortunam augentibus ipsam.
Agnouit Charites, celebris LVBRANSCIA Posnæ
Musarum sedes; nunquam feliciùs aucta
Dotibus eloquii, quàm cùm mellita diserti,
Regnat vox Cathedris & Gloria WINKLER,
Hanc Lechicæ pubis, semper selectus amauit
Flos, velut Herculeâ deuinctus sorte catenâ,
Sponte sequebatur, celebrans præconia laudis.
At minor Orbis Alexandro hic; nec pectoris alti
Esse capax potuit; sed debuit ipsa TILICI
Cessisse in palmam Cathedra, ex qua compare nutu
Iura daret populis leges capientibus vltrò.
Par certè auspiciis, clarus sudore decenni,
Hic nouus armipotens Troiæ expugnator Achilles,
Pellæum iuuenem meliùs sed dicere fas sit:
Quippe triumphator, calamo tersissimus omni,
Toto victrices laurus circumtulit Orbe.
Nunc dixisse iuuet: MARTINVS WINKLER amores,
Et stupor Europæ, vis, gloria maxima Suadæ.
Cuius ad eloquium Regum diademata vitam
Visa tenere suam, quamuis fatalia Parcæ
Stamina soluissent. viuit LVDOVICA perennis,
Regia Lechiadum claris insignis Amazon
Actibus: & manibus WINKLER dat lilia plenis.
Sarmata REX MICHAEL, quam ferrea fata negarunt
Ætatem imperii, WINKLER laude obtinet amplam.
Hoc tandem superest, Regum placuisse IOANNI
Delicio, Scuto, Gemmæ, Augustoq;, Pioq;.
Quid cupitis maius? satis est dixisse; IOANNEM
Laudauit WINKLER: pariter laudatus & ipse.
Ergo qui meruit Regali, Judice tanto,
Indole par fieri Præses, non ille doloris
Congeret irrequieti causas; pectus amicum

Duriùs vt vexent? tanti est hæc summa duelli.
Alta fatigato geminans suspiria corde,
Conticuit. roseo tum Virtus ore locuta est.
Lege quod æterna fixum est, non corruet vnquam.
Hæc adamantæo quoq; stat sententia scripta
Ductu. Theologos vt WINKLER nactus honores,
Emeritâ DOCTOR redimitus tempora lauro,
Præferat hanc semper, non vltra sede relicta.
Scilicet excelsæ mentis maiore theatro
Jam debet genius spectari; iamq; secundis
Prouehitur votis, quò se vocat indita virtus.
Fræna tuo, felix iam tandem Suada, dolori
Inice, nec duro miseram cor vapulet æstu:
Ast agitent placidè lætam noua gaudia mentem.
Est tuus iste decor, WINKLER decoratus honore:
Sistis in augusta facie, lucisq; theatro,
Peruenis ad fasces, & pulchræ iura coronæ.
Surgat in obsequium laudis mens excita luctu,
Inq; triumphales se laxent omnia cantus.
Hæc vbi dicta dedit, p lausu excepêre frequentes
Musarum cætus redeuntem ad tecta Paterna.
At nitidos Patrum vultus, totamq; Senatûs
Theologi faciem, votiuis plausibus intùs
Exundare videns, genitrix iam Suada leporum,
Exuta armorum rabie sic lætior inquit
Arma viri tractent, quorum mens dedita Marti;
Imbelles Musæ celebremus nomina laudum.
Omnia iam lætis subsultent plausibus; omnes
Iam lætæ meritum WINKLER Pæana canamus.
Ac velut in pratis, vbi apes æstate serena,
Floribus insidunt variis, & mellea circum
Munera depascunt, strepit omnis murmure campus:
Haud aliter Musæ, pulchro simul agmine currunt:
Pars cytharas, buxosq; capit, pars barbita tendit,
Curarumq; expers, lacrymas exosa iuuentus
Exultat, toto relegans suspiria cælo.
Lætantum fit dulce melos: per deuia mundi
Iam dulces resonant cantus, vocumq; suaues,
Concentus fiunt: plausûs modulamina regnant.
Quisq; suum iam tangit ebur, iam cymbala pulsat:
Passim fecundis decurrunt carmina riuis.
Pars niueas dotes animi cultusq; inuentæ
Concelebrat, mellitos pars extollere mores
Gestit ouans: mite ingenium pars ornat amore.

Prouocat in laudes meritas hinc dulce loquendi
Pondus, & vndantis victrix opulentia linguæ:
Illinc palmaris cantu Sapientia complet
Ora virûm. Ausonios illi DOCTORIS honores
Extollunt: sacræ hi formant præconia Suadæ,
Omnibus hic communis honos; mens omnibus vna:
Omnes lætifico declarant gaudia vultu.
Lætior at reliquis præstans dulcedine linguæ
Suada, suum reputans tantum de[c]us, [e]xplicat omnem
Congenitam lucem, pandit variosq; decores.
Quam sequitur Charitum concors & culta corona.
Ipsa triumphanti similis Dea; symbola pompæ
Gestat, & exultans cupidè iactare videtur:
Dextra manus palmam, frons gaudia, corpus odorem,
Candida pa[c]iferam conuoluunt tempora laurum.
Hoc vnum gemuit, dulces æstatis amores,
Veris opes; violas, narcissos, lilia, amomos,
Et reliquam florum turbam quòd tempora demant.
Fert tamen & flores inscriptos nomina Regum,
Appenditq; tholo DOCTORIS, [illegible] schemate laudes
Insignes referant: victricem deniq; Laurum,
Symbolon æternæ famæ, suspendit ad aram;
Quam magni in cathedra Suadæ peperêre labores.
Stoaq; cùm posuit pallam, quæ murice tincta est;
Et Pindus culmen tanto submisit Honori.
Vota fluunt, cælosq; meant, ac astra fatigant:
Viue diu felix Pyliam superando senectam:
Deliciæ Regum, sed Suadæ gloria VIVE.
Aurea tot numeres illustris sæcula DOCTOR,
Quot meruit virtus, quot gemmea scripta merentur.
Adstrictam numeris magno sub nomine Suadam,
Ingenio facili, vultu dignare sereno.
Quæ tibi sacrati monumentum stabit HONORIS.



